



**Petrvs Cnaphevs Sev Fvlo In Thoma VVegetino,  
Lutherano Theopaschita Redivivvs**

**Gretser, Jacob  
Ingolstadii, 1609**

§. 17. Pamphilus Episcopus Abydenus veteri & nouo Fulloni υγαίνειν.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-65394](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-65394)

teri sunt, immortales à nobis appellantur. Et quomodo ipsorum Deus, immortalis existens, mortuus est? Manifestum, quod falsa est dictio ipsa. si enim mortuus est, non est immortalis. Adhuc neque fortis, sed infirmus mortalitate tentatus. Non isti solùm, sed & Dei cultores, & nobis confideles, dicent: Utique isti (Theopaschitæ) Dei passionarij sunt, & non Christiani: Manichæi, & non orthodoxi, quia Trinitatem tenentes non Trinitatem, Eutychianistæ sunt, non rectè sentientes: Nestoriani, non Christianizantes, &c.

Videas charissime, non in finem ducas diffamacionem tuam, ne derisus fias, tanquam Deum passibilem, vel quaternitatem asserens, &c.

**§. 17. Pamphilus Episcopus Abydenus veteri  
& novo Fulloni γιανεύ.**

Præcedentium nostrorum Coëpiscoporum atten-dens symbola, non sciuisti non fuisse additam Trinitati quaternitatem, dum Trisagium dices in additione crucis? Ipsa enim est draconica, & venenosatum hærem vox, & porta inferni, & sempiternus ianitor mortis, & Christianorum laqueus, innocentium captio, orthodoxorum anomus, id est, contaminatio, fidelium pro-lapsus, sapientium titubatio, industriorum scandalum, quibus suspectus fuisti dulcis esse cum tua excæcatæ ex-positione, qua agonizas contra Apostolicam diffinitio-nem, & Euangelia, & trecentorum deceim & octo Pa-trum symbolum, additionem in Trisagio ignorantium intellectuale venenum. Dic mihi ergo, quis Deitatem dicit crucem sustinuisse? Quid Deum verbum nudas à stola? Quid inseparabilem tua ignauia, seu umbrositatē fecas? Quid veritatem saucias? Quid Nestorio, & Euty-cheti, Christi sectione, foederatus sis, & Samosateno cō-

F 2. disci-

discipulus, scidis Christi diuinam substantiam in carne, & cum Valentino eructasti, dicens, (sicut ille) immortalem crucifixum fuisse, & diuinam naturam serui supponens passionibus? Quid conticebo, vel loquar? Num Paulianistam te acclamabo? Tamen in tuis literis dixisti, post Trinitatem, Christum propter nos crucifixum. Num Manichæum te dicam? Tamen tu tibi ipsi reprehensibilis factus fuisti, Deum, non Christum, dicens crucifixum. Num Nestorianum te appellabo? Sed approbasti, post Patrem non confiteri laudatum à fidelibus Filium Dei fortem, carne crucifixum. Num Apollinaristam te dicam? Commiscuisti enim sicut ipse, Deum confundens passionibus carnis.

*§.18. Asclepiades Episcopus Tralliarum veteri  
& novo Fulloni τωφεον.*

Tua additio Crucis in Trisagio apposita, impia blasphemia est. &c. Cum graues terræmotus ciuitatem Constantinopolitanam occupassent, magnus & pauper, diues & pauper, seruus & liber, extra ciuitatem in Campo sedentes, simul concurrerunt, frigoribus, & hyeme ibidem perdi malentes, quā ciuitati ipsi coniungi. Quibus vbi Deus parcere clementer dignatus est, reuelauit B. Proclo Trisagium acclamare, cùm ipsi ad propulsandā iram litanias facerent. Et hoc clarè non vni, vel duobus notum fuit, sed, toti mundo. Si ergò introduxit Deus in eo dicere crucem, quomodo non respicit ad iniuriā suam? Dixit enim, dici; sanctus Deus, sanctus fortis, sanctis immortalis, miserere nostri. Quomodo ergo tu ausus fuisti apponere crucem, præter Deum, & sanctos Patres, Patrem confundens Filio, & Spiritui sancto, in Trisagio vocans crucem, tanquam apud te Pater non esset Pater solū, sed & Filius; & Filius, non esset Filius solū